

~~l. 9.336
MF
111~~

~~Nicolau-Primitiu~~
~~Cop 30~~
V1671 H-2 14/7

Regia Sententia lata in Sacro Regio
Senatus Valentius ...

N. P.
S. XVII
F. 3

R.

in quatuor cal

Val.

1673

**REGIA
SENTENTIA
LATA IN SACRO RE-
GIO SENATV VALENTINO, PER
ILLVSTRISSIMVM , ET EXCELLENTIS-
SIMVM D. D. EMMANVELEM GOMEZ DE LOS
Cobos, & Luna, Sarmiento de Mendoça, Zuñiga, &
Manrique, Marchionum de Camarasa, &c.
in nostro Regno meritissimum
Proregem**

**REFERENTE
BENE ERVDITO CONSILIARIO , ET
Egregio Senatore D. D. Braulio Esteve, in Regio Cō.
filio, & in Consistorio S. Inquisitionis
et quissimo Consultore.**

**IN FAVOREM
BALTHASARIS GINER , CIVIVM
Primarij Consolij.**

**ADVERSVS
EGREGIOS , NOBILES . ET MAGNIFICOS
Consules Vrbis Valentinæ.**

**Valentia, Typis Hieronymi Vilagrassa , Civitatis Tipographi , iuxta
Molendinum de Royella , Anno 1673.**



XPS.



T quia Balthasar Giner Civis Iuratus primarius Civium Vrbis, supplicatione posita die nono mensis Septembris proximè præteriti deduxit per mortem Grisogoni Almella Civis Iurati primarij in anno præterito, & ut talis Deputati Generalitatis Regni pro dicta, & præsenti Urbe in currenti triennio, quod incepit prima die præsentis anni Circuncisionis Domini nostri Iesu Christi vacare dictum Deputati officium, & quia ad sui notitiam pervenerit, quod cæteri Egregij, Nobiles, & Magnifici Iurati intendunt nominare alium, quam dictum Giner in successorem dicti Almella in relato Deputati officio, quod, ut asserit, pertinet, & spectat ad dictum primarium Iuratum, iuxta disposita in Regio Privilegio Regis Ferdinandi Secundi, cognomento Catholicis; ideo, & alijs utendo remedio aptiori cum clausula omni meliori modo declarari supplicat competeat illi dictum Deputati officium virtute dicti Regij Privilij, ut Iurato primario Civium Vrbis, & quod iubeatur admitti ad iuramentum solitum, & mittatur in possessionem dicti officij prout latius, in dicta supplicatione habetur. Contrarium contendente Martino Sanchiz Notario Subsyndico Vrbis, qui asserit præsentem casum vacationis dicti officij versari extra casum in dicto Privilegio præventu provisionis illius per lapsum trienii, non autem per obitum officialis, in quo iuxta ad litteram disposita in capitulo vigesimo tertio ordinationum factarum per Deputatos, & alios officiales domus Deputationis in anno millesimo quadringentesimo trigesimo nono, electio pertinet ad dictos Iuratos, qui non astringuntur eligere alium Iuratum, nec minus primarium, sed alium quemlibet Civem ad libitum dictorum Iuratorum, quod ita consuetudine admissum, & observatum esse concludit; sed attento, quod ex prætensa ordinatione, & capitulo vigesimo tertio, neque ex prætensa facultate Deputatis attributa ad statuendum dictas ordina-

tiones modo aliquo subsistenti appareat, nec constat, & quod iuxta disposita in dicto Regio Privilegio dicti Catholici Regis in corpore Privilegiorum clauso, & expresso constat facultatem nominandi Deputatum pro praesenti Civitate, & Brachio, ac statu Regali commissam esse quatuor Iuratis Civibus, qui concordanter, & nemine discrepante possunt, & debent nominare dictum Deputatum, & in casu discordiae alterius ex illis pertinet dictum officium ad dictum Iuratum primarium ex Civibus, & sic ad dictum Balchazarem Giner uti talem, tam in casu vacationis per lapsum, & finem trienij, quam mortis renuntiationis, aut alias in quibus cum eadem ratio militet; idem ius statui debet, etiam quod Iurati ad electionis actum accessus nondum venerant, quia cum contrariantur instantiae dicti Giner quem excludere intendunt inutilis circuitus erit, qui vitari debet. Attento ulti-
rius, quod si, & ubi omnia praedicta cessarent, & ad dictos Iuratos libere, ut praetenditur spectaret nominatio perso-
næ ad dictum officium, nec restrictè, nec limitate ad dictū Iuratum primarium, sed eo omisso, ad secundum, vel alios etiam extra gradum Iuratorum quod naturali rationi con-
venire videtur, cum electionis actus sit liber à propria, &
mera eligentis voluntate dependens, & cuius contrarium,
ut facultativum, nec possideri potest, nec prescribi: tamē contrarium in praesenti intrepide asserendum, & tenendum est, quia ex actis, & documentis in lite productis constat sa-
per annos centum quinquaginta, & amplius fuisse obser-
vari cæptum, ut Iuratus primarius Civium, tam in casu va-
cationis dicti officij per mortem, quam per lapsum, & finē trienij, ut notum est, per electionem, & nominationem, &
non aliis ex Iuratis gradus secundarij fuit semper promo-
tus ad dictum Deputati officium, & huius prælationis, &
præminentia ius (semoto dicto Privilegio) potuit ad-
quiri per Iuratos primarios Civium contra secundarios; pā
in munerum, & honorum susceptione, & administratione;
vno gradus personarum contra alios ius prælationis per
multorum annorum transcursum, & observatiām optimo

iure præscribitur ; & indubie quidem si centum annorum consuetudine roboretur, quæ etiam in mere facultatiyis, & titulum, & alia quæcumque ad eius firmitatem, & robur necessaria habere præsumitur. Nititur præterea iustis, & rationabilibus causis, quæ libertatem nominandi per dictum Subsyndicum præterea non parum detrahunt, cum enim actus officij Deputati pro præsenti Civitate quæ caput est Regni sit actus serius, & summae gravis industriam exigens probitatem, & experientiam merito Rex in Privilegio statuit, & decrevit antiquitas, de præteritis memor, & ab his iure recedens illum committere Iurato primarium Civiū, quem ad honorem evexerat, vel senior, & proiectior ætas, vel honore sapienti, repetiti, quæ duo meriti officij virtutē comprobant, & commendant. & hoc modo viam præcludere ambiēdi suffragia aliorum Iuratorum, apud quos poterat contingere, ut merita cedant sollicitè ambientium industria. Ideicō, & aliās deliberationem, & conclusionem in Sacro Regio Consilio sumptam inseqnendo Pronuntiamus, sententiamus, & declaramus : instantiam factam per dictum Balthasarem Giner in dicta supplicatione diei noni Septembbris de iure procedere, & iustificatam esse, & in consequens dictum officium Deputati pertinere, & spectare, ad dictum Balthasarem Giner, uti Iuratum primarium Civium præsentis Civitatis, iubendumque fore, & esse, ut cum præsenti iubemus Deputatis, & aliis quibus incumbit ut dictum Giner admittant ad iuramentum dicti officij, & consequenter ad possessionem, & exercitium illius cum salario, & cæteris præheminentiis, & emolumentis, & neutrā partem in expensis condemnamus.

Don Cosmas Gombau Reg.

Vt. Arques

Vt. Mor.

Vt. Don Braulius Esteve.

Vt. Don Antonius Calatayuda

Publicata fuit huiusmodi Regia sententia per Eusebium de Benavides Regium mandati Scribam, die leptimo mensis Novembbris anni millesimi excentesimi sexagesimi secundi, instanti, & humiliter supplicante Antonio de Herrera Not. Procuratore, altera parte absente citata, & non comparente. Valentiz, &c.

RE+

Puntos
1940
5,00 pts.

